

262

de discipulis ejus, et quomodo quidam de ministris durissimam alapam dedit Domino, manu furibunda ictu gravi caedens faciem Jesu, adeo ut secundum quosdam dentes oris ejus removerentur, et os sanguine (**B**) flueret: ad quam percussionem Dominus Jesus nihil durum dixit aut fecit, nec percussori poenam aliquam inflxit. Unde Augustinus: si cogitemus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut coelesti igne consumi, aut terra dehiscente absorberi, aut correptum daemonio vexari, aut aliqua hujusmodi qualibet poena vel etiam graviori puniri. Quid enim horum per potentiam jubere non potuisse, per quem factus est mundus; nisi patientiam nos maluisset docere, qua vincitur mundus. Ex his patet falsitas mendosa illorum, qui dicunt, quod Dominus Jesus suum percussorem punitverit statim in eodem loco, dicens ei: hic stabis et innocentiae meae testimonium perhibebis usque in diem extremi judicii; et tunc salvus eris. Ab illa ergo hora stat ille ibi vivitque, nec tamen comedit, nec bibit, nec dormit, sed magno desiderio exspectat mundi finem, ut liberetur, et peregrinos advenientes interrogat, an foeminae adhuc masculos pariant? dicens: quod fine mundi appropinquate cessabunt mulieres mares parere; et ita stat ibi interrogans, et ad interrogata respondens. Haec autem sunt frivola mendosa contra Scripturam et Evangelium, fidei et veritati contraria, per fatuos et deceptores gyrovagos ficta, qui vagantes sub specie pietatis per loca, veritate se ingurgitare non valent, talia mendacia confingunt, et simplices homines seducunt, et nonnunquam etiam, qui videntur prudentes esse, eis attendunt, et pro mendaciis dona eis conferunt. Hoc mihi contigisse, veritas fateri cogit. Nam eodem anno, quando ad primam meam peregrinationem me disposui ad terram sanctam, venerunt Ulmam duo gyrovagi de Flandria, qui dixerunt, se recenter de Jerusalem venisse, et de monte Synai, et multa mira recitabant, sedentes inter pauperes in hospitali, et multi utriusque sexus ad eos confluabant, ut fabulas eorum audirent. Vidua autem quaedam honesta, domina Anna de Kingseck, affecta sermonibus eorum, ut eo liberius cum eis conferre posset, recepit eos in domum suam, et largum hospitium eis praebuit. Et quodam die me accersiri

